



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Spiritus Sanctus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Chiroman-
tica obser-
vatio sal-
lax.

Super auriculari nullum hactenus hieroglyphicum inveni, id tantum apud Chiromanticos deprehendi, eum qui brevior hunc habeat quam legitima mensura deponat, id est, ad tertium annularis nodum non perveniat, indicium esse eum illegitimo concubitu susceptum: sed quoniam ex divinatricibus conjecturalibusque disciplinis, si modo disciplina est talia profiteri, nulla est hac magis fallax, his omisis, ne digitus prætereatur indicium, ad ea me convertam, quæ de numero cuius præcipuum est hieroglyphicum, superius fuerant examinanda, nisi præ voluminis magnitudine morositatis notam declinare visum esset. Is igitur, cum, uti sequenti commentario explicabitur, & unitatem & quaternarium alio atque alio gestu præ se ferat, septenarium, quantum fieri potest, in extremam volam exporrectus ostentat. Numeri autem huius hieroglyphicum est, ut præter ea, quæ loco suo commemorata sunt, multipliciter, aut frequentem significet iterationem.

FREQUENS ITERATIO. CAP. XXV.

Septem, so-
cabulum
quid apud
Hebræos.

Hebrei autem in primis, ut Ægyptiacæ linguæ discipuli, SEPTEM de re pluries repetita ponere consueverunt. Unde argentum septies purgatum, pro sapius, Psalmo undecimo dictum, hoc est, ut Euthymius explicat, donec quicquid in eo terreni fuerat igne abstersum, exhalaret. Et Psalmo nono supra septuagesimum, *Redde vicinis nostris septuplum*, interpretes ajunt, septuplum Hebræorum more positum pro multiplici, quemadmodum & septem, sæpe pro multis. Nam & Regum 1. Theologi ponunt illud, *Sterilis septem peperit*, idem & Ecclesias septem pro multitudine. Jam Chrysolomus actione in Judæos quinta, septenarium numerum ait in Divinis literis infinitæ multitudinis signum habere. Et ita forte Virgilianum illud accipiendum:

Septem illum totos perhibent ex ordine menses

Rupe sub ærea deserti ad Strimonis undam

Flevisse. & alibi,

Immania septem Terga boum.

Æn. lib. 5. & eodem modo pleraque.

SANCTUS SPIRITUS. CAP. XXVI.

Et sancti Spiritus prærogativa septenarius, de quo, ut infinita alia prætereamus, Eisaïas c. 1. *Et requiescet super eo Spiritus Domini*, dein dona ejus VII. enumerat, *Spiritus sapientia & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientia & pietatis, & Spiritus timoris Domini.*

PERFECTIO. CAP. XXVIII.

Quæ vero plurima & Philon, & Hierocles, & alii super septenarii perfectione disputant, nunc omisimus: illud quod nostri temporis inventum est minime dissimulabo, multarum rerum, ne de argento solo dictum hoc existimemus, quæ per ignis iterationem depurgantur, perfectionem in septima decoctione consistere; veluti quotidie cernere est in saccharo purgando: nam ubi septies igne id examinaveris percoxerisq; nihil quicquam ulterius proficit, sed lapide scit penitus, ne ulterius eliquari possit. Unde proverbium vulgo usurpatum de re, quæ summam adeptam sit perfectionem, *Septima decoctionis saccharum*, ubi sagacissimum quempiam atq; valerrimum hominem designamus.

HUMANÆ VITÆ CURSUS. XXVI.

Addemus & illud, septenarium numerum totius humanæ vitæ cursum significare, ut Theologi declarant eo Levitici loco: *Septem diebus comedetis azyma*, de quo Paulus: *Epulemur non in fermento veteri, neq; in fermento malitia & nequitia, sed in azymis sinceritatis & veritatis: & non ad tempus, sed omni nostri vita ab huiusmodi pravitate fermento mundi esse debemus.* Nam si septem diebus holocaustata, ut LXX. reddunt, offerre debemus, necesse est diebus septem nos puros permanere: quia non debent, qui sacra ferunt celebrantq;, criminis cuiuspiam sibi esse conscii.

DIMENSIO. CAP. XXIX.

Non eram autem super digito quicquam ulterius philosophaturus, nisi mihi venisset in mentem, in mensuris quoque multa delitescere hieroglyphica, eaque plurimum de Divinis. Mensuram vero